



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

LVI. Martinus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

*Cornua viuacis, domus, hæc, Hirenhamia cerui,*

*Incluta virtutum premia ferre solet.*

*Candidus hæc ambit calor, exornata recumbunt*

*In galea pariter cornua fulua fera.*

*Hæc ab auis Eberharde tuis insignia cepta,*

*Ornasti titulis, Pontificis q̄ gradu.*

*Cornigeri ut q̄, solent per secula viuere cerui,*

*Sic Eberharde tibi vitæ perennis eat.*

Huic Eberhardo muneri misit Reuerendissimus & Illustrissimus S. R. E. Cardinalis & Episcopus Augustanus Otho *Speculum Prasulis*, à R. P. Claudio Iaio vno ex decem primis Societatis IESV Patribus collectum (quod non ita pridem euulgauimus) cum hoc suo chirographo, & Auctoris Encomio. *Speculum Prasulis collectum à Reuerendo & sancto viro Claudio Iaio Societatis IESV, & mihi donatum pro xenio prima Ianuarij M. D. XLV. Huius Speculi præsentem copiam transmitto Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Eberhardo, Episcopo Eystettensi, Domino & fratri meo obseruandissimo.*

Otho Cardinalis Augustanus  
& Elyvacensis.

## LVI. Martinus.

Eberhardo successit Martinus ex nobili & peruerusta Schaumbergiorum familia, electus anno Redemptoris M. D. LX. XVII. die Iulij. Sedem tenuit triginta annos, obiit enim anno M. D. XC.

Nec scio, quis Episcopi huius vitam, mores & res gestas melius depinxerit, quàm Robertus Turnerus, vir disertissimus, partim in Oratione, quam III. Nonas Iulij in funere Martini Eychstadij dixit, Collegij Willibaldini tunc Professor & Præses, partim in epi-

X x 2

stola.

stola ad Cardinalem Alanum. Ex vtraque breuiter  
excerpemus, quæ ad rem nostram facere videbun-  
tur.

### *Prima ætas Martini.*

Hæc pars vitæ, etsi aliis plures maculas aspergat, quàm quas  
possunt toto cursu abstergere: tamen huic ita acta, imo exacta est,  
vt in eo nauulos illos communes, vix ac ne vix quidem inueneri-  
mus. Nam postquam suas vitæ, & viæ rationes segregauit à foro &  
mundo (segregauit autem in prima ætate) vitam vixit semper pu-  
ram sceleris, seiunctamque à contagione morbi illius, qui Eccle-  
siam primò perdidit & prodidit Luthero. At otiosam reprehен-  
das hanc eius vitæ partem. Otiosam, & voluptatis morbo corre-  
ptam aut corruptam quis credat? Nam voluptati & otio tam ar-  
cta est societas & communio inter se, vt otium primò molliat mè-  
tem & subigat ad voluptatem, atq; voluptas mox, falsa specie, sese  
insinuet, veræque virtutis neruum penitus incidat. Quamquam  
patior, vt reprehendas hanc vitæ partem perditam otio, si non in-  
uenias totam positam in virtutis studio, pulchrè positam, & ad se-  
nerioris disciplinæ calculum.

Primam ætatem non primis modò Grammaticis præceptis,  
sed interiori etiam illa & politiori literatura quam probè tinxerit,  
imo latè imbuerit & infecerit, abundè loquitur oratio latina, quæ  
seni tam pura, tam prompta, vt videatur non solij maiestatem iam  
diu consilio tueri, sed à schola ad curiam, aut à curia ad curam to-  
gamque principis iam primum translatus. Neq; dixit solùm com-  
modè, sed tã alto fuit in literis iudicio, siue illud ars excoluerit, siue  
indiderit natura, vt stupuerim semel eum in Erasmo, & laudatè  
illud liberum, & reprehendentem hoc, quod omnes vident, affe-  
ctatum. Neque hic stetit, sed, quasi profiteretur se cudendæ linguæ  
artificem, inuenit & in Bembo illo perpetuo ambitu, quod languē-  
bat, tardiusque ingrediebatur, quàm teres eius atque rotunda au-  
ris ferebat: & in Politiani arguto scitoque genere, quod hominis  
non omnino plumbei, aurem mentemque mirificè afficit ac de-  
mulcet. Ac ne putetis hanc eius orationem petitam ex alieno cor-  
de & ore, ipse mihi ostendit Politiani epistolas, & Herodianum  
sua manu notatos, & asteriseis præscriptos ad memoriam, subie-  
ci que

citque eandem se operam in Bembi historia Veneta fixisse, sed duriusculum, & longioris periodi circumductu reptantem verius quam incedentem, non facere ad suum stomachum. O delicatum stomachum, & si hoc habitu natum, diuinum; si arte factum, primæ ætatis incuriam nemo mihi reprehendat.

Quamquam quid probo primam vitæ partem positam in studio & studio virtutis? Loquebatur id fama, loquebatur peccus instructum à prudentia, loquebatur perpetuus in mensa sermo, loquebatur ingenij oculus purus & acer, quo statim videbat in aliquis, & vultu, quod amaret; & oratione, quod reprehenderet. Audiui à viro bono, beneque oculato, cui illius vita non nexo & crepundiis, sed veris notis cognita, in historiæ, canonum, conciliorum peruolutione ita contritum, vt quoties vellet mentem traducere à cura grauiori ad quietem, solitus sit in hæc adyta quasi diuersoria opportuna diuertere, vt antea sæpe trita, & iam nullo sibi labore peruia, id quod vt ego crederem, fecit illius perpetua consuetudo, qui in mensa plerumque nodum ex canone Concilioque ita commodè nexuit, & vel ipse soluit, vel aliis, tanquam Gordium, dente incidendum reliquit, vt sæpe miratus fuerim, hac labe ætatis & principum, tantum aut senem potuisse, aut voluisse principem. Ista fortasse postea commodius, nisi pertineret ad rem, videre nunc, ex quo semine non orij, sed laboris, illa post seges Principis nata est, & effloruit.

### *Peregrinatio Martini in Italiam.*

Neque hoc semen est Germanici tantum soli, quamquam sparsum hinc primò diligentia, occatum labore, pietate irrigatum, & gratiæ, tanquam solis, percoctu maturum exierit tandem in hanc Ecclesiæ Germanicæ messem. Quippe cum probè intelligeret posse Troiæ, id est, domi, nasci Hectores, sed non posse nisi foris fieri Vlysses, vsu fieri, consuetudine fieri, peregrina disciplina fieri, & quasi Mineræ manu, fingi: profectus Bononiam, omni semper humanitatis & doctriinæ laude politissimam, ita perpetuo & nunquam interciso prudentiæ humanitatisq; tenore exegit duos annos, vt æquè ciceret amorem & in Germanis Italicæ suauitatis, & in Italis prudentiæ cuiusdam Germanicæ. Post studia Bononiæ cœpta, fortuna vel potius prouidentia, fortunæ victrix aut reatrix tulit in Italiam Augustanum Cardinalem, cuius Aula Martinus ag-

gregatus Romam vidit, atque in media labe ita nitidus vixit & sine labe, vt præbuerit occasionē cuidam prudentissimo viro, committendi Martinum adhuc iuuenem cum Cardinale, mirandūque duos ex vna gente diuersissimi ingenij homines, quorum vnus ita Germanizabat, vt nihil videretur velle habere Itali; alter ita Italizabat, vt nihil penitus Germani.

Quare cum multis prudentiæ & mititatis partim insitæ; partim adscitæ signis probasset Italis esse in Germano homine, quod debeat amari & coli, reddidit se Germaniæ suæ, secumq; refert. qd prudentiam rem notam; iudicium? dixi. doctrinam? vidistis. quid tandem nouum retulit, & nō auditum? ipse se retulit (mirum mysterium verbi) ipse se retulit Germanorum Germanissimum, non Itali simiam, ipse se, expressionem candoris, non factum arte vultum; ipse se, suauitatis viuam imaginem, non delicias fictas; ipse se affectuum magistrum, non aucupem ceremoniæ; ipse se retulit, non oblitum externis moribus & secleribus ad contagionem, sed mollissimi simul & grauissimi genij formā quandam & exemplar: Quam grauitatis & mititatis personam tam constanter tuebatur iuuenis, senex, subditus, priuatus, vt discriminaretur tantum à senē iuuenis, crine, à subdito priuatus, loco.

### *Decanatus Martini.*

Hæc cum vel morum modestia, vel motuum mitigatio primum posuit in Decanatu. quem hic virum omnia vt dicendo exequar non finit tempus: & ipsius primus princepsque honor orationem hinc tanquam ad vadum hærentem, ad se toto impetu rapit. id tamē impetro & à re ipsa, & ab ipsius principatu, vt moneam illum gessisse Decanatum, summa moderatione; verbo, vt magistratum; re vt subditum, vix vt possit statui, fuerit ne seuerior in se subditus, an mollior in alios magistratus. Mirus hic modus gerendæ reipublice, & eò magis mirus, quo verius tuebatur dignitatem, inueniebatque noua arte, vt ex auctoritate timorem, sic ex auctoritatis vsu amorem.

### *Principatus Martini.*

Cum duo sunt, quæ homines commendant omnes maximè maximos, eosque ponant propè diuinitatis gradum, facere & credere: tum hæc duo ita sunt plena difficultatum, & interseptū obicium

cum pene inuia, vt in tota antiquitate vix legeris, qui & faciens nō impegit, & credens non titubavit, &c. Martinum vt non liberem omnino hominem ab ea pedica, quæ Apostolos ipsos implicuit; tamen Episcopum vt vindicem & asseram, facit eius omnis sermo, omnis cōsuetudo, omnis actio. Nota est illa illius vox ad principem virum, cur Luthero potius quàm Ambrosio? Witemberge quàm Romæ credis? crederem, inquit ille, incredibilia? Imo subiecit sanctus senex; id ipsum credere; est incredibilia credere. Quamquam male pono momentum in vna eius voce, qui tota vita ita dixit, ita fecit, vt & vita verbo, & verbum vitæ, & verumque fidei fecerit fidem: vsque eo, vt ab hæretico audiuerim, si omnes sacerdotes fuissent hac vita Martini, nunquam secessio fuisset facta à Roma. Et si hæreticus præposterè peteret momentum fidei à vita hominis, tamē maxima fuit laus Martino, sic vixisse, vt ipsi hostes statuerint eius fidem & vitā, vitæ sibi & fidei æquissimam regulam. Caluino exprobrati leuitatē nobis, qui credimus sub specie panis esse Christi carnem, respondisse fertur medicus verè & argutè; qui non credit Christo dicenti, gnauiter impudens: qui credit, feliciter est stultus. Ad hanc normam Martinus Episcopus. Et si enim oportuerit adferre rationem, cur crederet: tamen ita totus in orbis & vrbis nutu acquieuit, vt sine ratione mallet credere, quàm cum ratione insanire.

Parè ergo Episcopus noster credidit, profectò vt Episcopus. Parè tantum? imò constanter & piè. pietatem vidimus omnes, quicumque eum vidimus gementem, suspirantem, & tantum non flentem, quotiescunque rei vel in Gallia, vel in Flandria malè gesta susurrus increbuit, & quasi amore in Romam grauidum, non prius conuiescentem, quàm aliquam è cælo spei & consolationis auram sentisceret. Martine, possuntne hæc tempora te carere Episcopo? debent potius, quam possunt. Quam clarè nos vidimus eius pietatem, tam vetè hæretici stupuerunt ipsius constantiam. Principes enim non nostrarum partium etsi omni suauitatis & officij genere complecteretur, tantumque deferret, quantum aut sanguini debuit, aut potuit vicinæ, tamen cum ageretur Christus, cum Ecclesia, cum Roma, animus magnus & foetus amore cæli, nō cogitauit, contra quos, sed pro quibus diceret. Ex hoc genere multa sunt; verùm, quia mysteria aulæ semper cū offensione, aliquando cum periculo efferuntur in vulgus, tantū tango, quod  
cuidam

cuidam magno, & alioqui bono viro se excufanti; quasi à Luthe-  
ro, non à Caluino stantem; constanter responderit; Luthe-  
ro, Caluino, omnibus equè extra septa Ecclesie vnã esse viam, aut pro-  
lapsionem potius, in flammam perpetuò vindicem. Quam senis  
aureoli vocem aureolus Princeps Bauariæ *Dux Philippus* ita arri-  
puit, vt eam, quasi è cœlo lapsam, & gemmam constantiæ, quæ E-  
piscopus debet maximè ornare, literis ad patrem suis inter texue-  
rit. Maçte Princeps *Philippe*, & tenax disciplinæ, in qua es imita-  
tione exemploque magni Martini, hoc modo cresce ad magna.

Nolite tamen putare Martinum sic zelatorem, vt non memi-  
nerit modestiæ. Nam hæresin sic perdidit, vt hæreticus vellet suam  
hæresim, si perderetur, sic perdi. Oderat quidem hæresim, vt pe-  
stem; sed odio sancto, odio iudicij, odio, quod habuit amorem.  
Quanquam in eos, qui carnem sapiunt & sensum, vix cadit, vt in-  
telligant amorem cum odio coniunctum, & ad concordiam mi-  
raculo mistum: tamen Episcopus Martinus hæresim ab hæretico,  
morbum, à morbido, contagionē ab infecto tam exquisita iudi-  
cij lima seceuit, vt arderet eius, quātum odium in hæresin tantus  
amor in hæreticos: factum que est hac moderatione, vt viderentur  
æquè & hæreses odisse eius amorem, & hæretici eius odium amã-  
sse. Tanti est principem bene vti voce, bene vti ratione. In fide, &  
pro fide bene quidem & generose: pendamus actionem.

Nitida illa, & (vt vno verbo dicam) prisca. Nam Principem  
& Episcopum sustinebat tam pulchrè, vt nec Episcopum pollue-  
ret maiestate, nec vilitate minueret Principem. In incessu quid  
desideratis Principis? ita altus. Quid Episcopi? ita grauis. Vestis  
quidem Episcopi tota, sed vestis eam auctoritatem conciliauit, vt  
videretur Principem non alia vestis melius ornare posse, quam  
Martiniana. In victu nec luxus, vt agnoscas Episcopum, nec lu-  
ctus, vt mireris Principem. Alia sunt maiora, & quæ vix videntur  
posse in Principem simul & Episcopum cadere. Profusio fuit,  
quanta debuit esse Principis, & parcitas, quanta potuit esse Epi-  
scopi, &c.

Examinemus iam iudicij tanquam aurificis staterâ separatim  
illa, quæ sunt ita Principis, vt non videantur Episcopi. Principis  
duæ sunt Principes functiones, punire, audire. at quid puniuit? vix  
statuo apud me laudem clementiam, an admirer iustitiam. Nam  
sic egit, aut potius sic omnia egit, vt æque eius & a maretur mititas,  
&

& timeretur seueritas; si tamen seueritas possit dici, quæ tam fuit mitis ad veniam, aut mititas, quæ tam seuera ad normam. Non potest, hac carnis & temporis labe fieri, vt non inueniat aliquando Princeps in subdito, quod seueriori verbo non perstringat. Hæc causa si Martino obiecta (atrepta enim fuit nunquam) num oculum creditis acrem? labium tremulum? ardentem maxillam? alia vultus tetra ad speciem? omnia potius contraria extra vocem, quæ iudicij sale mista, & carpebat aculeo, & capiebat amore: nisi culpa grauior aculeum requirebat & solum, & altum. Deus bone, quam acriter tum infixit? quem tamen, aut texit semper, aut deposuit, quoties exibat in publicum, explicuitq; frõtem, vocem, manum, alias mititatis suæ diuitias, tam abundè, tam apertè vt facile peccans intelligeret, se correctum, non despectum, & ipsum finxisse, non exeruisse iram. Hocine est, esse iudicem? patrem potius, ita amat. At quo modo non iudicem, qui punit? inueni exitum. Fuit index pater, quæ laus est Principis vna omnium maxima, &c.

De feminis stupor est, cum exegisse vitam, semper integram ab hac communitate temporis & ordinis nostri contagione, & cauisse in vita nihil catius aut cautius, quàm ne admitteretur illæ in societatem sermonis, aut si admittendas postularet necessitas, nec solas, nec nisi illustres: cum quibus animaduertebatur, ita loqui, ita agere, vt ipsas, credo, suppuerit aliquando, virginem pudorem, qui solet in oculo feminae habere sedem, mutata iam sede, tutiorem locum inuenisse in vultu, in oculo, in toto corpore Martini.

### *Qualis Episcopus fuerit Martinus.*

Principem in umbravi, in quo nihil Episcopi, Episcopum iam faxo videritis, in quo nihil Principis. Episcopi verum vultum, qui pingunt, non lineas tantum primas, sed eminentias, vmbas, totum deniq; habitum expriment ad formam Christi, qui boni Pastoris, id est, Episcopi nomen sibi, & facto primus confecit, & verbo solus vindicauit. Ego (inquit Ioannis 10.) sum pastor bonus. Non dicit tantum, vt pastor, sed facit, vt bonus, & facit tria, numero quidem pauca, sed fructu feracia, & posteritati semper futura indicia, verasque notas boni pastoris. Non teneo vos circuitionibus. Prima boni Pastoris nota est, quoddam quasi insigne non inductum, aut eductum è serie maiorum, sed Christi voce, & vita, tanquam filis purissimis prætextum. Vt animam suam ponat pro



ouibus. Durum inquis, durum, sed necessarium, nisi mercenarij nomen, & labem, velit subire. Mercenarius fugit, atque quia oues curat sibi, non se ouibus, lupi eas denti & laniatui obicit, se vt prestat immunem. Ad hanc normam Martinus sanè pastor, & optimus pastor, posuit quidem animam pro ouibus suis, qui, quidquid vixit, illis vixit non sibi, tam scilicet mori, vt illæ viuere, quam promptus viuere, ne illæ morerentur. Testis enim tota vita eius, in qua nihil ex bonis, quibus circumfluebat, terrenis præcærens sibi ad voluptatem, dominus quidem omnium, se fecit seruum singulorum. sic enim precibus dispescebat diem, mensæ, causis, litibus, aliis pietatis functionibus, vt sibi se seruaret, quantum Deus & suorum negotia reliquum facerent, &c. Non potuit quidem omnia, quæ instillauit amor, potuit tamen maxima, quæ tamen non potuit per se, voluit sane per alios. Hæc causa, cur seminarium in ciuitate sua, ad Concilij Tridentini præscriptum instituerit, & primus Episcoporum in Germania instituerit: quod suis instituerit; optimus pater, quod ad nutum Concilij, obedientissimus filius; quod primus Episcoporum, omine sanè bono, & vero, primus in Germania Episcopus. Nec sine fructu instituit. Nam in hoc seminario primum virtutis, doctrinæque lac fuxerunt parochi, Iurisperiti, Theologi, plurimi, optimi, doctissimi, si viui, rectè indices; si mortui, verè testes: & viui & mortui, profectò coronæ, & laureæ suæ in rempub. charitatis: quorum opera dum vtebatur (vtebatur sæpissimè & lubentissimè) faceret, sed quasi in sinu gaudens de suæ charitatis messe, dicere solebat, se metere, quicquid hi serunt, verè sui, &c.

Charitas illius emanauit quemadmodū boni ad bonos, sic Episcopi ad omnes: subditi si morerentur; moritur; si ægrota, ægrota; si angantur, angitur, si quid à flamma, aut imbre patiantur, ille mox vel flammam ignis, flamma charitatis, vel imbrē cæli, imbre oculi conatur æquare, imo vincere: sic vt omnes vn̄ omnium dolores doleat, vsurpetque cum Paulo, quis infirmatur, & ego non infirmor? singulare id est, & mentis in cælum penitus subreptæ iudicium, quod, quò tempore pestis ciuitatem hanc depascebat, scedoque populatu affligebat, ita sibi curæ fuit cura suorum, vt parochum, qui infectos adibat ipse infectus, sæpè ad se accerseret, neque periculo deterreretur, quò minus cum partim consilio iuaret, partim mulceret consolatione, & vina charitatis voce  
 exem-

exemploque serio instillaret mortem, quam charitas induxerat, facile esse contemnendam. periculum quicquid alij inculcabant, periculum sui, periculum Ecclesie, periculum reipub. ille constanter perstabat in ipso virtutis vestigio, edebatque voces illas verè Apostolicas, se mercenarium nō esse, sed cum suis vt velle viuere, sic posse mori. Menti verò, quam habet optimus parochus non deferendæ stationis è cælo impressam, se id adiecturum momenti, vt hunc charitatis circum, quem diuino instinctu ingressus est, suo exemplo serio currat, & percurrat. Stupemus in S. Carolo Borromæo, vrbis & Italiæ vero stupore, eum Mediolanenses suos, peste post natos homines longè contagiosissima, tabentes adiisse, excitasse, lustrasse, exemplo lustrasse, sacramento lustrasse, omni verbi facti q; luce lustrasse, verè Episcopum. Martinum nostrum, si non a quo propè latere, certè proximo post eum vestigio pono, qui, quod non valuit viribus effcetus, voluit Episcopus periculo, & quod fecit exemplum Borromæus, illud hic secutus sit maiori fortasse iudicio, qui mediam viam cœli insistens, se præbuerat orbi visendum, imo stupendum, mortis nec incursum temerarium principem, nec vitatu mercenarium Episcopum.

### *Morbus & mors Martini.*

Postquam quatuordecim septimanarum languor, qui dicebatur potius, quam morbus, eum adfixerat lecto, rationes meæ ferebant, vt ab illo peterem auris copiam. Inromissus pro more, postquam dolueram, verè dolueram, subnexueramq; spem, causam spci, alias aulæ potius tricas, quam Christi voces: excidit mihi tandè vox illa Christiana, è morbo nec multo, nec magno elucere valetudinem certam, tamen me sperare ad Dei voluntatē ita eum iam factum vsu, factum exemplo, factum librorum sacrorum lectione, vt sit excepturus æquè mortem, si feriat; atque vitam; si excipiat. Ille oculo in me contra morem intentō, audaciam (inquit) verbi, sed vultu, inquit, medio inter ridentem, & pallentem, tu mihi primus mortem minaris & ominaris? excusanti mihi libertatem verbi, & pro timore spem, pro Christo obrudenti mundum, frustra subiecit, & ex aulæ disciplina argutaris post veram vocem: nec tamen est, cur timcas offensionem. Nam accipio, si Deus velit, nuncium, si nolit, amorem tuum. Istud est amare, illo tempore mihi mortis mentionem iniicere, quo alij vitam promittūt,

& seni, certius, & morbido liberius, quàm robusto antea, & firmo à valetudine. Quo magis mihi places, qui sic mortali speras vitam, vt morbidò timeas mortem. Neque sum tam ignarus mortalitatis, vt statuam mihi legem moriendi, alienam potius vocem, quàm Dei voluntatem, neq; hic primum lectus, me docuit mori, sed ille, qui ante decem annos meam valetudinem tentarat, & ad mortis portam, tanquam lapidem, grauissimè adflixerat. Lucrum ergo iam mihi est, quicquid viuo, & ab eo tempore vixi. Propè est, vt in Martino pingam Paulum, ita iustis verborum ponderibus pendit, lucrum vitæ, mortalitatis vim stabilem, mortis certam rationem, alienæ vocis ventum, sui lecti timorem, omnia tandem ex-cuntia in Dei voluntatē. At ne putetis vocem potius casus, quam iudicij; neque semel fuit dicta, neque vni, neque in vna causa.

Gratulanti Principi vicino restitutam valetudinem (exierat enim in vulgus spes) iubet agi gratias per literas, quæ, quod præferrent spem, omitte mihi sis (inquit Secretario) spēs, & subiice, de me fore illud, q̄ Deus vult. Laus Germanorum est, valere iudicio, & inter Germanos hæc laus Thuringiorū & Saxonū maximè est. Verum noster Princeps, quātum Thuringij reliquos Germanos, tantū Thuringios vnus omnes iudicij vi vicit, & superauit. Quicquid vidit titubatum aut in officio, aut contra artem, id is quadam iudicij vel acie tam probè vidit, vel lima tā probè correxit, vt nihil vltra. Id firmus, quàm exquisitè fecit non est, cur moneam: cum morbidus: imò moribundus (quo tempore acies mentis corporis dolore retusa, vix se exerit) viderit pro spe humana diuinam voluntatem sufficiendam. Totum hunc non dicam solius Dei, qui sui totius Deum solum vult regulam? nihil mirum, si valetudina-rius in Deum se totum abdat, qui valens omnia dicta, facta, cogitata ad Dei voluntatem, tanquam normam reuocauit. Quæ vi- ui valentesq; terimus, ea morituri arripimus, boni bona, mali ma- la, siue dicta, siue facta.

Solent, fama illustres & nomine, illustria vsurpare elogia, pom- pæ hic, *plus vltra*; constantiæ ille, *pressus resurgo*; superbiæ vnus, *vel Cæsar*, *vel nihil*; alter modestiæ, *sto quasi casurus*; alius deniq; aliud, quod proximè repræsentet, quam quisque mentem habet, vel li- batam ex cœlesti igni, vel terrenæ feci immersam. Martinus vero noster quid præfert? ad pompam nihil, ad vsum verò illud, *ich setz Gott heynt*, id est, commendo rem Deo. O bonam, bone senex, Cyno-

Cynosuram, ad quam dum vitæ tuæ, tanquam nauiculæ, elanum dirigis, appulisti in portum, & gloriæ, quæ vana, & felicitatis, quæ vera, quam nullus aut inuidiæ ventus euertere, aut calamitatis tempestas potest corrumpere. Quærin? quam habent hæc verba vim? princeps, si qua cura paulò mordacior, aut molestior incurrerat, cogitabat primum ipse secum, consultabat dein cum aliis. Nihil proficit suum? id reliquum est illi in Deo. *ich seßs Gott beytm.* Post hoc verbum, si vrgeret cura; certè cum vrset, non pressit quasi hominem in cura, sine cura, vnde vt in vitæ perpetuo dolore, non audiebantur voces querelæ, nec vt foemina fractæ; sed (quasi mel mentis non posset fel verbi edere patientia) *Deus, quod tu vis: fiat voluntas tua Domine*, in manu Dei sum, is figat, refingat; quod Domino placitum est. Etiamne Martine? tam non tuus, vt totus sis Dei? istud quidem est exprimere verè Episcopum, nisi verius Christum, qui quantus fuit, obedientiæ filius fuit, voluitq; nullus esse in morte vt possit esse totus ad voluntatem Patris, &c.

Propè mortem, mirum est, quam contempsit mortem. Roganti vni, quid optaret in hac vita amplius, respondit; mori, nec aliquid in hac aut scelerum sorde, aut hæreseon labe posse esse, quod ei vitam posset facere aut dulcem, aut optabilem: esse quidem sibi cordi & curæ, Ecclesiam suam, populū suum, Eystadium suum, (ô voces pastoris bonas) sed vt se, sic hæc in manu esse Dei. Hactenus speramus illi vitam. Postquam Medicus clamat, mortè certā, Deus bone, quos gemitus? quas lacrymas? quos dolores suorum? nihil necesse, mercede eliciamus præficarum pullam & lacrymam. Tota ciuitas est luctus, tota ditio imber lacrymarum. Is tamen recto, & erecto animo ridere hanc hominum de se curam, in illam solum cogitationem intentus, alteque defixus, quomodo moriatur Deo. Quanquam frustra hanc curam curat. Nam vnus est ille bene moriendi modus, quem semper tenuit, benè viuere. Qui illi erat à sacra, secretaq; aure, quia nouit Principum animos difficillimè diuelli, à pleno titulorum, dignitatum, rerum humanarum affectu, voluit etiam hunc affectus in illo fundum tentare. Deus bone, quàm reperit purum? quàm defecatum? quàm limpium? & nullo mundi limo inspersum? est (inquit Confessarius) *Illustrissime Princeps*, tēpus, quo testère mundo, quanti facias mundum; respōdeasq; mentē tuam clarè, an res terrenas, vt necessario, sic libenter relinquant. Egon, inquit, libenter non relinqua res terrenas?

tenas? nec meas? nec veras res? Quæ nobis videtur res, sunt vmbre; quæ firmæ, sunt planè fluxæ.

Non multo post sistitur illi Christus panis specie testus. Mox ille, titulos, inquit, bone Iesu; honores, agros, palatia, vitam, omnia, singula, quibus me supra me ornasti, tibi nunc cedo, liberè libenter. Quid hic primum laudo? mentem? est supra omnem laudem. Verbum? peribit illi vis à me verbo. Exemplum? exemplum quidem hoc, si qua laude aut via possim, optem subici non principibus modo, sed omnibus etiam hominibus, qui in huius stadij meta, &c. Venit ad agonem, in quo quid quid athleta Christi debet, facit, pie facit, & cum fonte lacrymarum; ac quemadmodum sacerdos eum munit sacra confessione, & mensa; sic is se piat sacra lacryma, nec prius facit flendi finem, quàm ille muniendi. Piato, imo sacro nulla amplius fluit lacryma, vngitur placidus, dicit vale placidus, monet placidus, & audit monentes, orat placidus, & quasi non pars mundi, sic ex mundi statione placidè exit. Multa vestigia diuini hominis, tanquam ad Deum recta exeuntis. Quisquisque vita fuit, sãda, integra; eius signum, anima claustrum iam corporis prruptura, clarè edit. Dicunt avarus, opes, libidinosus, delicias; miles bella; naua scopulos; bona, bonus. Martinus vt verus Episcopus, & in mundo viuens sine pice mundi: dispensat partes, Suffraganeo suo, concionandi, Capellano, celebrandi, aliis, alias functiones pie, diligenterq; obeundi. Si quid effert iam mens in corpore, quasi extra corpus, quid putatis illud? non mundum aut mundana, sed missas, Psalmos, Euangelium, resurrectionis spem, cœlum, Ecclesiam suam. Quid pergo? agon illius & extremus vitæ circus fuit totus in cura Episcopali, monet & monetur, mouetur & mouet; benedicit & benedicitur.

Jd memorabile, quod sæpe suis, huic sacram manum, illi sacrum oculum, alteri sacrum osculum, omnibus sacram cruceem & benedictionem sæpe impertierit, quasi sacer sacra tantùm cogitans, faciens, dicens: Deoobus illis diebus, qui fuerunt seni, vitæ ultimi, *Adamus Fabricius*, qui præerat sacris eius concionibus & confessionibus, & *Laurentius Eusephius* Suffraganeus, viri à zelo & doctrina instructi, semper penè aderant illi, operamq; , quam malebant vigenti & viuo, moribundo iam piè nauant, præeuntes, tunc hunc, *Pater noster*, nunc illum, *Credo*; verumque iam alias orationes pius senex sequitur, tanta vultus vocisq; suavitate, vt viderint omnes

omnes in illo animi submissionem, quantam oratione mea nunquam æquem, qui senex iuuenum, pastor ouium, pater filiorum, vocem, nutumque non sequi tantum, sed obseruare etiam videbatur, atque hoc vltimum & maximum, vel suis modestiæ exemplum, vel sibi obedientiæ monumentum conficiebat. Omnia hic tanquam ovis, & obedientiæ infans alieno ductu, nisi quod sæpe iusserit sibi præiri illum psalmum. *Expectans expectaui Dominum.* De hoc psalmo video sanè fulgorem Spiritus sancti emicantem ex voce. Nam Sacramentis, lacrymis, orationibus piatus non clamat, *De profundis, nec gemit, miserere;* sed quasi carnem, mundum, Satanam ducens in triumpho, id vnum cogitat, dicit: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.*

Nocte, quæ fuit illi vltima, cœpit serio rogare de decima hora: quam, quia omnes norant longissimè abesse, putant delirium esse vocis. Magis putant, quod non multò post subiecerat voce contentius elata, decima adhuc non audita? tandem quasi ægè ferens, horam optatam, diutius, quàm pro voto herere, iterum atque iterum, etiamne tam tardè decima? Quid vrges sancte senex decimam? veniet illa, veniet, quam festa tibi & fausta, tam nobis lacrymabilis & mœsta: cum cognituri sumus, quod prius interpretabamur, delirium vocis fuisse mysterium. Auditur enim iam decima, & ecce tu tuam animam nitidam illam, & à carnis Satanæq; nexu liberam reddis Deo tuo, nosq; deseris inter mundum & Demonem medios, imo finete mortuos. Benè dixit vnus, cui senis cor visum, aut certe sæpius auditum, eum toto vitæ cursu creditum optimum, sed meliorem tamen semper fuisse, quam creditum. Id iam videmus clarè. Credimus ante tantum Confessorem, vidimus in morte etiam Prophetam. Fuit præterea aliquid, eum mortuum in octaua corporis Christi. Nam cum is corpus Christi tanta reuerentia in vita semper coluisset, quanta hominum quisquam, & rem sacram toties fecisset, vt in funere, eius Suffraganeus argute dixerit, res sacras fecisse eum plures, quam audierint alij: profectò hoc credo ex cœlo fluxisse in eum beneficium, vt quam diem reuerendissimè semper habuit & Ecclesia Christi corpori vero, sed mysticè velato, triumphum contra hereticos decreuit, eum is videret, & in terra vltimum, & in cœlo primum. Mallet nō tam citò videret, non quod beato quicquam vellem præcerpere de sua felicitate, sed quod hæc eius felicitas, nobis fuit infelicitas, quantā scribendo non possum consequi.

Hæc

Hæc ex Turnero de Vita, rebus gestis, & morte Illustrissimi Martini excerpere volui; quia Turnero mores & actiones Martini cognitissima erant, qui ut Martini eximius cultor, ita & singularis admirator fuit. Magna porro huic Episcopo familiaritas fuit cum Serenissimis Bavariae Principibus Alberto & Wilhelmo, à quibus sæpius Monachium inuitabatur.

## LVII. Casparus.

Iustis Martino defuncto ritè persolutis, ventum est ad novi Præsulis & Principis creationem. Creatus igitur concordibus Patrum suffragiis Ioannes Otho à Gemmingen, cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Decanus, & Eystettensis Canonicus. Sed nullis siue Capituli, siue aliorum etiam principum virorum precibus & auctoritate adduci potuit, ut in Electionem cōsentiret, qui tamen paulò post, nempe anno salutis M. D. XCI. die XXI. Martij cathedram Augustanam moderandam suscepit, cum morte sua eam rectore destituisset Marquardus à Berg Episcopus. Cùm igitur Collegium Canonicorum de obtinendo consensu ab Othone desperauisset, de alio Præsule subrogando circumspexit, lectusque est Casparus ex nobili familia à Seckendorff. XIII. Augusti anno salutis M. D. XC. qui, ut paulò post audiemus, Episcopatum inuitus, nec sine lacrymis, suscepit, ratus, nec forsàn vanè, onus istud suis humeris impar esse; quod postea euentus quoque comprobavit; dato ei à Collegio Canonicorum coadiutore, XVIII. Nouembris, anno gratiæ M. D. XCIII. qui fuit Ioannes Conradus à Gemmingen Canonicus Ecclesiarum Eystettensis & Augustanæ; & huius etiam Decanus. Robertus Turnerus, vir.

&